



Gunterotus honestis parentibus natus, & in omni genere uirtutum educatus fuit. Is cum prima artium & linguarum fundamenta feliciter didicisset, animum ad legum studia conuertit, & in ijs a deo profecit, ut doctissimis Iureconsultis adnumeraretur. Huic eruditioni & uitae integritate atque magnam adiunxit prudentiam. Id cum Philippus Landgravius Hassiae cognouisset, eum suis consilijs adhibuit, & suum Cancellarium constituit. In tali uita conditione Guntherotus magna animi moderatione uixit, & domi atque foris in comitijs, principis sui nomine, res magnas expediuit, ita ut ab omnibus suspiceretur. Itaque cum Carolus Caesar 1545 per Granuelanum & Nauium serio cum Protestantibus de futuro Concilio & bello Turcico ageret, Protestantes ipsum Guntherotum & Iacobum Sturmium elegerunt, qui cum illis de ijs rebus conuenirent, & sua responsione satisfacerent. Cum etiam postea 1547 Philippus princeps in Caesaris fortuna Halae compareret, & coram Caesare in genua subsideret, Guntherotus proxime illum se submisit, & principis sui postulata de scripto recitauit. Quoniam uero res multo aliter, quam sperabatur, caderet, atque Landgravius captus detineretur, Guntherotus nihilominus uiri boni officium praestitit, & nihil intermisit, quod ad sui principis honorem & utilitatem spectare uideretur. donec tandem is libertati restitutus, magna gloria ad rerum gubernacula redierit, & multo potentior factus fuerit. Vnde Guntherotus ob multas corporis & animi uirtutes apud omnes in magna estimatione fuit. Sleid.